

*Dominus in eo iniquitates omnium nostrum. Oblatus est quia ipse voluit, et non aperuit os suum, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, etc.* Quæ omnia in Domino impleta esse constat ex evangelistis.

XIV. Crucifixio prædicatur Psalmo XXI. qui totus de passione luculentissime scriptus est: *Foderunt manus meas et pedes meos.* Atque ut non quævis fossio seu vulneratio intelligi queat, additur: *Dinumeraverunt omnia ossa mea;* quia scilicet ex corporis in cruce extensione factum ut omnia ejus ossa numerari possent. Scio in Hebraico textu legi: *Quasi leo manus meas, etc.* Sed perperam; Septuaginta enim non *caari*, id est, *quasi leo*: sed *caatu*, id est, *foderunt*, legunt, *caari*, vel librariorum vitio vel Judæorum malitia irrepsit; nec efficit sensum congruum.

XV. Quod inter latrones crucifigendus et pro suis persecutoribus oraturus esset Patrem, prædixit Isa. c. prædicto: *Et cum sceleratis reputatus est. Et ipsa peccata multorum tulit et pro transgressoribus rogavit.* Primum in ipso impletum testatur Marc. c. XV. dicens: *Et impleta est Scriptura quæ dicit: Et cum iniquis reputatus est.* Alterum impletum cum in cruce oravit: *Pater, dimitte illis: non enim sciunt, quid faciunt.* Pro voce rogavit, habetur in Hebr. *occurrit*, iræ Dei videlicet, quasi ea tum armata fuerit ad perdendos Judæos quod ostendunt elementa commota et sol obscuratus: intercesserit tamen Christus et suis precibus Patris iram exarmavit.

XVI. Judæorum irrisiones et blasphemias in Christum crucifixum eodem Ps. XXI. *Ego autem sum vermis et non homo: opprobrium hominum et abjectio plebis: omnes videntes me deriserunt me, locuti sunt labiis et moverunt caput. Speravit in Domino, eripiat eum, salvum faciat eum, quoniam vult eum.* Omnes videntes, inquit, quia omnium hominum genera, nobiles, ignobiles, sacerdotes, Iacobi, Hebræi, gentiles, quod impletum est, quando ut scribit S. Lucas, c. XXIII. *Stabat populus spectans et deridebant eum principes cum eis.* Et infra: *Illudebant autem ei et milites. Locuti sunt labiis, et moverunt caput.* Hoc impletum fuisse docet S. Matth. c. XXVII. *Blasphemabant eum moventes capita sua, et dicentes: Vah qui destruis templum Dei! Speravit in Domino, eripiat eum, salvum faciat eum, quoniam vult eum.* Easdem voces Judæorum fuisse testatur S. Matth. in eodem loco: *Confidit, aiebant, in Deo, liberet nunc eum si vult.* Nec multum refert quod propheta dixit: *Quoniam vult eum, et evangelista refert eos dixisse: Si vult.* Nam cum propheta dicit: *Salvum faciat eum quoniam vult eum,* subintelligitur, ut ipse dicit: quod perinde est, ac si dixisset:

Liberet eum, si vult eum, id est, si amat eum, ut ipse dicit, liberet eum; vel, quandoquidem vult eum, ut ipse dicit, liberet eum. Admiranda prorsus prophetæ illustratio, qui non solum res gestas, sed etiam verba prænovit et prædixit; quæ in Judæis passione Christi fuerant, ut scribit eo loco Bellarminus.

XVII. Vestimentorum divisio et sortitio, eodem illo psalmo: *Diviserunt vestimenta mea et super vestem meam miserunt sortem.* Alteram enim vestem diviserunt in quatuor partes, pro altera; quia scindi sine damno non poterat, miserunt sortem, ut scribit impletum esse Joannes, cap. XXI.

XVIII. Quod felle et aceto in cruce potandus, Ps. LXVIII. *Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.* Fel propinatum esse Domino testatur Matthæus, cap. XXVII. *Dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum,* vinum pro potu, fel quasi pro esca. Acetum scribit Joan. c. XIX. sitiienti propinatum, ut impleretur Scriptura hujus utique psalmi, quem omnes expositores veteres, Hilarius, Augustinus, Hieronymus, necnon recentiores de Christi passione ad litteram intelligunt.

XIX. Ossa ejus non confringenda, Exodi XII. et Num. IX. ubi de esu paschalis agni ad litteram quidem præcipitur: *Nec os illius confringetis.* Mysticum tamen et allegoricum sensum de ss. Christi corpore non frangendo præcipue intendit ibi Spiritus sanctus, quem impletum scribit S. Joannes, dum solius Christi crura non sunt in cruce fracta, Jo. XIX.

XX. Lancea latus est perforandum, Zacha. XII. *Aspicient ad me quem confixerunt.* Quem locum, Joannes, mutatis verbis, sensu prophetæ retento, impletum in vulnere lateris Christi scribit: *Videbunt in quem transfixerunt.* Aspicient oculis partim fidei, partim compassionis et doloris, ut centurio et qui cum eo erant, qui viso terræ motu et his qui fiebant, timuerunt valde dicentes: *Vere Filius Dei erat iste,* Matth. XXVII. necnon ii qui *percutientes pectora sua revertebantur.* Scio Septuaginta non legisse *confixerunt*, sed *insultarunt*; sed vel ipsi decepti sunt similitudine litteræ Resch et Daled, et pro *dacharu*, id est, *confixerunt*, per metathesin legerunt *rachadu*, id est, *insultarunt*; vel Hebræorum textum corruerunt. Corruptam enim esse multis in locis editionem Septuaginta interpretum auctor est Justinus martyr, dial. cum Tryph. et Hier. præfat. in Paral. et XXX. Isa. et Aug. J. XV. de civ. c. XIII.

XXI. Resurrectio prædicta Ps. XV. *Non dereliquis animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias*

*vite, adimplebis me lætitia cum vultu tuo.* Quem locum de Domini resurrectione intelligendum docet S. Petrus in prima illa sua concione post acceptum Spiritum sanctum recens illustratus, Act. II. Significat autem primo, Christi animam descensuram ad inferos, in limbum scilicet patrum; deinde, ejus corpus non putrefactum iri in sepulcro, sed præservandum Dei virtute a putredine, et ad vitam immortalem educendum.

XXII. Resurrecturum die tertia prædixit Oseas, c. VI. *Vivificabit nos post duos dies et in die tertia suscitabit nos, et vivemus in conspectu ejus.* Quem locum de resurrectione Christi intelligunt pene omnes patres, putantque aliqui dici hoc in persona eorum qui cum Christo resurrexerunt. Confirmatur ex apostolo, I. Cor. XV. ubi ait: Christum resurrexisse tertiæ die secundum Scripturas. Quomodo vero alio loco prædicatur in Scripturis veteris Testamenti tertia die resurrecturus? Vult ergo dicere propheta tertia die mortis Domini nos in et cum Christo resurrecturos, partim in re, ut qui cum Christo resurrexerunt, partim in spe, ut cæteri.

XXIII. Ascensio in cælum habetur, Ps. LXVII. *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus.* Hunc locum de ascensione Christi explicat apostolus ad Eph. IV. paululum immutatis verbis: *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus.* Sensus vero idem est, significans Christum ascendentem in cælum; captivos diaboli fecisse captivos suos felicissima commutatione, quales erant patres e limbo educti et cum Christo ad cælos eveci, item captivos quasi in triumpho duxisse mortem, infernum, diabolium, peccatum, idola, tyrannos. Deinde, dedisse dona hominibus seu accepisse dona in hominibus, quia accepit dona a Patre quæ daret hominibus et de facto dedit, dona inquam Spiritus sancti in missione ejus. Et sic idem est dare et accipere dona.

XXIV. Missio Spiritus sancti prædicatur Joeliis II. *Effundam Spiritum meum super omnem carnem et prophetabunt filii vestri et filix vestra, senes vestri somnia somniant, et juvenes vestri visiones videbunt.* Quod impletum fuisse in die pentecostes docet S. Petrus, Act. II. quando apostoli loquebantur variis linguis, docebant, miracula faciebant, etc. quæ omnia significat vox propheture late sumpta.

Vidimus, auditores, et nonnihil explanavimus, prout tempus tulit, Scripturas quæ de Christi vita et morte sine controversia vaticinantur. Superest ut hinc agnoscamus Christum, vel si eum jam agnovimus firmiter saltem in eum credamus, impensius eum colamus et amemus, utpote

tot Scripturis a tot sæculis annuntiatum, ut per eum salvi omnes fiamus, etc.

## CONCIO VIII.

## DOCUMENTA.

I. Virtutes in Christo: 1. Patientia. 2. Bonitas et clementia. 3. Charitas. 4. Suavitas. 5. Prudentia. — II. Cælum meritis obtinendum. — III. Præsulum et prædicatorum dotes. — IV. Indicium surrexisse in nobis Christum. — V. Peregrinationes ad loca ss. defenduntur.

## THEMA.

*Surgentes eadem hora regressi sunt in Jerusalem.*  
Luc. XXIV.

Quarto Regum septimo legimus quatuor leprosos ingressos castra Syrorum, qui Samariam obsederant, divinitus autem territi, repente fugere compulsi erant, reperisse castra quidem a Syris deserta, sed ingentes interim divitias in castris ab iisdem derelictas, aurum et argentum, necnon cibos omnis generis et annonæ abundantiam. Hoc igitur comperto dicebant ad se invicem: *Hæc dies boni nuntii est, si tacuerimus et noluerimus nuntiare usque mane, sceleris arguemur. Venite eamus et nuntiemus in aula regis.* Quod leprosi hic fecerunt, faciunt in hodierno evangelio duo illi discipuli, et ipsi nonnihil maculis aspersi stultitiæ et tarditatis. Cum enim in castello Emmaus agnoverunt Christum a mortuis excitatum adeoque mortis et dæmonum dominum, continere se non potuerunt, quin illico surgentes eadem die reverterentur magnis passibus in Jerusalem, ut tam optatum nuntium afferrent aulæ et collegio Christi, dicentes, ut opinor: *Hæc dies boni nuntii est, hæc dies quam fecit Dominus: exultemus et lætemur in eo.* Eamus et nuntiemus fratribus nostris resurrectionem Domini nostri. Nimirum nobilis et ingenuus est amor divinus; qui enim Deum amat, cupit et desiderat eum ab omnibus amari: gaudet etiam ac gestit sua bona communicare aliis dicens cum Isaia: *Omnes sitientes venite ad aquas, et qui non habetis argentum properate, emite et comedite,* Isaia LV. Contra amor mundi ignobilis et servilis est, participem non admittit, solus gaudere præda vult. Istud canum et gallinarum, illud leonum et aquilarum est: istud mundi sectatorum, illud Dei servorum. Quando igitur, auditores, gaudium paschale heri vobis annuntiavi et communicavi; hodie communicabo quidquid boni deprehendi in hodierno evange-



lio. Sceleris me reum arbitrarer, si tacerem : vos ne rei sitis, audite et accipite.

Illuminati sunt discipulorum oculi in fractione panis et cognoverunt Christum. Nos etiam agnosceremus Christum, necnon alia plura in hodierno evangelio si frangere id voluerimus diligenti consideratione.

I. Video miras et divinas plane virtutes et perfectiones in Christo Domino nostro, et primo, patientiam, dum discipulorum diffidentiam et stultam opinionem de sua morte et resurrectione ad longum audit patiens et silens quoad absolvissent, quod certe nobis molestum est; solemus enim insipientium verbocinia cum indignatione abrumpere vel fugere. Verum Dominus noster discipulorum infirmitati condescendens, patienter eos auscultavit, ut medelam adhibere languentibus posset. Quod imprimis imitari deest confessarios in excipiendis confessionibus; audire inquam pœnitentes, donec omnino sese explicent; ne forte ad primum statim peccatum increpatos absterreant a confessione cæterorum peccatorum. Neque enim auceps primam statim avem, quæ desilit in aream, corrumpere vel retibus tegere solet, sed expectat socias alias, ut simul omnes capiat. Deinde superiores quoque ut querelas subditorum, licet fastidiosas, audire ne detrectent: quomodo magnus ille dux Moyses audiebat populi querelas a mane usque ad vesperam, Exodi XVIII.

Secundo, bonitatem et clementiam, dum, ut duos salvet discipulos, non ex apostolorum numero, sed ex septuaginta duobus, non dedignatur eis apparere, et cum eis incedere sat longam viam, necnon instruere eos in omnibus prophetis. Quod sane advertendum est episcopis et prælatis, ne dedecori sibi ducant instruere proprio ore parvulos et rudes, audire confessiones pauperum et humilium; ne solis regibus et principibus scientiam suam vendere quærant.

Tertio, charitatem, dum negotium salutis discipulorum ipse prior inchoat, interrogans eos: *Qui sunt hi sermones, quos confertis ad invicem?* Non curiositatis causa, (uti los fere interrogamus) sed ut ansam arripiat eos instruendi. Tacuisset ipse, tacuissent et discipuli; incepit ergo qui plus amavit. Ita paralyticum illum nihil rogantem interrogavit: *Vis sanus fieri?* Joann. V. Ita Samaritanam allocutus est: *Mulier, da mihi bibere*, Joann. IV. eamque mira prudentia duxit per ambages ad peccati sui agnitionem et detestationem; id quod etiam facit in alloquio hodierno, dum e quæsito in quæsitum sese insinuavit in corda discipulorum.

Quarto, suavitatem in trahendis ad se disci-

pulorum animis, dum eis appropinquat, et cum eis ambulat, et quidem in specie peregrini ipsorum simili, ut viam sibi sternat ad eos erudiendos; rursum ergo hic discunt superiores condescendere inferioribus, eorum infirmitatibus se accommodando, ut medelam eis afferre queant. Id quod accurate præstitit apost. I. Cor. IX. scribens: *Omnibus omnia factus sum, (non mentiendo sed compatiendo: non simulantis astu, sed commiserantis affectu, ait S. Aug. ep. VIII. et X.) ut omnes facerem salvos.* Ita Sanctus Barlaam eremita, fingens se gemmariurum, gemmamque afferre eximii splendoris (fidem scilicet evang.) aditum sibi patefecit ad Iosaphatum, regis Indiæ filium, eumque ad fidem pellexit, apud Damascenum in ejus vita. Ita S. Abrahamus anachoreta Ægyptius neptem suam Mariam lapsam in fornicationem, ideoque fuga dilapsam assumpto mercatoris habitu invenit, et ad viam salutis reduxit, apud S. Ephrem in vitis patrum. Ita S. Xaverius a concubinariis avelebat concubinas, insinuans se in eorum amicitiam, et nunc unam nunc alteram sub alio et alio prætextu eis adimebat, donec ad unam omnes abstraheret, apud Turselin. in vita, l. V. c. X. Doctus absque dubio a magistro suo Ignatio, qui hoc suis monitum dabat: *Ingredimini cum eo, quod est illorum, sed exite cum vestro*, q. d. curate primo omnibus omnia fieri, ut tandem eis persuadeatis, quam intenditis, viam virtutum et salutem. Nec mirum quia si amator solet se omnibus modis, obsequiis, servitiis, munusculis, ornatu insinuare in amorem nobilis divitis et speciosæ filiæ ut eam in sponsam obtineat; si auceps, ut raras vel delicatas aves captet, frondibus se vestit, escamque eis optatam obijcit: quid mirum, si pro lucranda anima, quæ pretium sanguinis Christi valet, vitæque ejus coempta est, omnia tentemus? *Magna res est anima*, inquit S. Bernardus, epis. LIV. *quæ Christi sanguine redempta est.*

Quinto, prudentiam in corrigendis errantibus. Videtur quidem asperior æquo fuisse correctio illa: *O stulti et tardi corde, etc.* Sed sciendum primo, mitius sonare vocabulum, quo usus Christus. Græce enim habetur, o amentes vel insensati; vox contumelia caret. Deinde, Deus est, qui loquitur, potens ac volens increpando accendere et stimulare corda discipulorum ad credendum. Si par parem increpare non potest, superior tamen potest; et quantum magis Deus hominem? Habet domi aurifaber vas e terra selectissima vel e crystallo, quod aureis ansulis atque annulis vult ornare, et usui accommodum facere. Mandat hic ministris, ne opus hoc attin-

gant, aut perficere attentent; postea veniens ipse adoritur, et ictibus tundens ornamento suo induit, quod tyrones perdidissent. Ita noverat Dominus, quibus objurgationum ictibus tundere deberet discipulos ut eos expoliret; norunt et superiores corripere delinquentes: non noverunt alii. Ad hæc malo nodo malus debetur cuneus. Male sanos et male credulos monstrarant se hi discipuli, tum quia redemptionem Israel sperabant fore a jugo servitutis temperario et imperio Romanorum non intelligentes Scripturas; tum quia suis se verbis cædebant, dum mulierum sibi notarum testimonia adducebant, de Christo suscitato, iis tamen non credebant; tum denique quia spem resuscitandi magistri deponebant. *Nos autem sperabamus*, inquit, cum tamen nondum effluxisset tertia mortis dies. Malus itaque cuneus cohibendus erat: *O stulti et tardi corde!* Hoc est, quod Ps. XVII. legimus ad litteram de Deo scriptum: *Cum electo electus eris* (Hebr. *cum puro purus eris*) et *cum perverso perverseris* (Hebr. *cum perverso luclaberis seu pugnabis*) quamdiu enim hi discipuli candide loquebantur de passione Domini, tamdiu patienter auditi sunt, at ubi suam diffidentiam et insipientiam prodere cœperunt, ibi in eos pugnare et invehi cœpit Dominus. Eodem plane modo in sua resurrectione terribilem se præstitit custodibus sepulcri, utpote armatis et inimicis: amabilem vero mulieribus et discipulis, velut inermibus et amicis. Quare alio modo corrigendi sunt præfracti et contumaces, alio modo humiles et obediens. Quarto, denique hæc correctio fuit privata et inter solos; quia talis etiam discipulorum culpa. Occulta igitur peccata occulte castiganda sunt. Ita Christus Samaritanam de viro illegitimo reprehendit solam, dimissis in urbem discipulis, Joan. IV. Ita Joseph proditurus sese fratribus (quod non poterat facere nisi simul proderet eorum scelus dicendo: *Ego sum Joseph, frater vester, quam vendidistis in Ægyptum præcepit, ut egrederentur cuncti foras et nullus interesset alienus*, Gen. XLV. Viderint ergo qui subditos, aut pares etiam, corrigere volunt, ut hanc corrigendi normam servent.

II. Video gloriam cœlestem meritis parandam, non solo hæreditatis titulo sperandam esse adultis. Audimus enim dicentem Dominum: *Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?* Si ipse per passionem intrare debuit in gloriam suam, quanto magis nos per merita et tribulationes intrare oportebit in alienam? Porro, Christus sibi meruit nomen *super omne nomen* et gloriam, non animæ, (hæc enim a primo instanti conceptionis habuit) sed cor-

poris, quæ sex excellentias complectitur. Prima est resurrectio, ut docet S. Athanasius, serm. II. contra Arianos; quia enim Christus *obediens fuit ad mortem*, hinc meruit, ut primus a morte resurgeret, utque mortis victor eam in se et membris suis mysticis aboleret. Secunda, sunt dotes corporis gloriosi: quia enim corpus suum in passione dilaniandum dedit, hinc promeruit in resurrectione accipere corpus gloriosissimum, scilicet immortale, impassibile, fulgidum, agile, subtile, juxta id Ps. XXIX. *Conscidisti saccum meum et circumdediti me lætitia*, q. d. corpus meum passibile per tormenta conscidisti velut panem et inde mihi concinnasti novam gloriosi corporis vestem, ut exponit S. August. serm. CCLVI. de temp. Tertia, exaltatio super omnes angelos et sanctos. Quarta, sessio ad dexteram Patris. Quinta, potestas judicandi vivos et mortuos. Sexta regia potestas in cœlo et in terra. Licet vero hæc exaltatio et sex prærogativæ Christo jam debitæ essent ab instanti conceptionis propter unionem hypostaticam; eas tamen novo et altero titulo, per meritum videlicet suæ humilitatis et obedientiæ, quasi coronam et mercedem, obtinere debuit ut non mere gratuito, sed justitiæ quoque titulo eas possideret. Quare nos etiam licet per baptismum statim acquiramus jus ad cœlestem hæreditatem, eam tamen, ubi per ætatem licuerit, novo titulo promereri debemus virtutum operibus.

III. Video præsulum et prædicatorum dotes eis necessarias, ut sint *potentes opere et sermone coram Deo et omni populo*, quemadmodum de Christo dicunt hi discipuli. *Primum opus, deinde sermo*, inquit hic Theophylactus. *Nullus enim sermo doctoris firmus est, nisi prius docens se factorem declaret.* Atque hæc sunt duæ illæ tubæ argenteæ, quas fieri ad convocandam multitudinem jussit Deus, Num. X. tuba operis et tuba sermonis, seu, ut ait Procopius, *tuba doctrinalis, et tuba moralis*. Tuba dum ore inflatur, manu interim duci debet, ut concinnum edat sonum. Qui ergo verbis alios instruit, exemplis quoque confirmet, ne hiulecum et ridiculum reddat tonum, et solum aerem verberet. Latronem de justitia, incestum de castitate, ebrium de sobrietate disputantem sine risu non audiremus, nedum aliquo fructu. Christus suo sermone accendit discipulorum animos, unde aiunt: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via?* Qui ergo auditorum corda cupit inflammare ardore pœnitentiæ vel amoris divini alteriusve virtutis, manibus signa apponat, flatibus vero ignem excitet, hoc est, *potens sit opere et sermone.*



IV. Video, indicium non vanum, resurrexisse in nobis Christum, adeoque nos cum illo; si nimirum ambulet nobiscum in omnibus nostris actionibus, uti hodie cum discipulis. Sic enim memini dixisse ad Deum Moysen, Exod. XXXIII. *In quo scire poterimus ego et populus tuus invenisse nos gratiam in conspectu suo, ambulaveris nobiscum?* Porro ambulant cum Christo, qui eum quasi presentem semper præ oculis habent ad ejusque voluntatem et beneplacitum suas omnes actiones conformant, juxta illius, quamvis ethnici, Senecæ vere christianam sententiam, ep. X. *Sic vive cum hominibus, tamquam Deus videat, sic loquere cum Deo tamquam homines audiant.* Ita ambulavit cum Deo Henoch, Gen. V. Septuaginta vertunt: *Henoch placuit Deo*, Targum Jerosolymitanum legit: *Servivit Henoch in veritate coram Domino.* Qui ergo sic ambulant, vere Deo serviunt et placent. Idem facere jussus est a Deo Abraham, Gen. XVII. *Ambula coram me, et esto perfectus.* Idem omnibus consulit Salomon, Prov. III. *In omnibus viis tuis cogita illum, et ipse diriget gressus tuos:* Tobias quoque filio suo: *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeo Deum,* Tob. IV.

V. Video peregrinationes ad loca sacra recipiendas et probandas. Video enim discipulos, necnon eorum magistrum Christum, peregrini habitu descendentes ab Jerosolymis, quod ad festum paschatis celebrandum ingens Hebræorum turba confluerat. Unde aiunt Domino: *Tu solus peregrinus es?* q. d. ex tanto peregrinorum numero tu solus non vidisti vel audisti, quæ acta sunt his diebus in Jerusalem? Sed confirmemus hoc ipsum pluribus contra hæreticos nostri temporis; et probatur primo, Scripturæ testimonio, Deuteronom. XVI. instituit Deus, ut omnes filii Israël in anno ad tabernaculum vel templum Domini peregrinarentur. Quod præceptum studiose servabat Helcana et Anna, uxor ejus, I. Regum I. necnon Christus ipse cum matre sua et Josepho, Lucæ II. gentiles quoque veniebant adorare in Jerusalem propria religione relicta, Joann. XII. Uti et eunuchus Æthiops, Act. VIII. Paulus item apostolus festinabat in itinere, ut in Jerusalem faceret pentecosten, Act. XX. Secundo, ostenditur patrum testimonio et exemplo. Eusebius, lib. VI. c. IX. ait: *Alexander Jerosolymam adorandi et locorum sanctorum videndi causa properavit.* S. Hieronymus, epist. XXVII. de obitu Paulæ inquit: *Cujus gentis homines ad loca sancta non veniunt?* Anastasius, in Constantino scribit: *His temporibus duo reges Saxonum ad orationes apostolorum cum aliis pluribus venientes velociter (ut optabant) vitam suam fi-*

*niverunt.* Idem testatur Paulus diac. qui et subdit: *His temporibus multi Anglorum gentis nobiles et ignobiles, viri et feminae divini amoris instinctu Romam venire consueverunt.* De Ceadulla Britonum rege scribit Beda, lib. V. hist. c. VII. « Venit Romam, hoc sibi singulare desiderans adipisci, ut ad limina b. apostolorum fonte baptismatis ablueretur; simul etiam sperans, quia mox baptizatus, carne solutus, ad æterna gaudia jam mundus transiret; quod utrumque ut mente disposuerat, Domino adjuvante, completum est. Etenim illo perveniens, pontificatum agente Sergio, baptizatus est die s. sabbati paschatis, anno ab incarn. Domini 689. et in albis adhuc positus, languore correptus, calend. maiar. solutus est a carne, et beatorum est consortio sociatus in cælis. » Subdit eum nomen Petri sumpsisse in baptismo, et in S. Petri basilica esse sepultum; ejus et epitaphium recitat.

Idem fecit Huu, Ceadullæ successor, qui et ipse, relicto regno, Romam peregrinatus monasticam ibi vitam amplexus in Domino quievit, ut ibidem scribit Beda. Denique Carolus Magnus, anno Domini 774. peregrinatus est Romam, eumque ad urbem accederet, ex equo descendens pedes perrexit ad S. Petrum, ac gradus S. Petri sigillatim deosculans, ab Hadriano pontifice exceptus, alias deinde ecclesias pari devotione visitavit. Quodcirca Deus ei benedixit, nam rediens Ticinum cepit, ac Desiderium Longobardorum regem captivum abduxit, regnumque Longobardorum tot annis Italiæ molestum extinxit. Deinde Saxones subjugavit. Ita ex Anastasio et aliis Baronius, anno Domini 774. Tertio, ratione; primo enim, peregrinationes cedunt ad honorem Dei et sanctorum non medioerem, quando itinerum laborem et pericula suscipimus ad Dei cultum et sanctorum reliquias. Deinde, sunt opus pœnitentiæ et satisfactionis, quia laboriosa et molestæ. Denique, augent devotionem; præsentia enim loci sancti incutit horrorem, et excitat reverentiam. Et licet ubique sint aliqua sancta loca, tamen sæpe alibi sunt loca sanctiora: vel alia saltem ab his, quæ in nostra patria inveniuntur; ipsaque novitas juvat ad devotionem excitandam. Sæpe etiam peculiari amore ferimur erga sancti alicujus memoriam, quæ procul abest a nobis.

Verum quidem est, et fatemur perlibenter, non ponendam in peregrinationibus eam spem, quasi iis solis quomodocumque peccatis, obtineri salus queat; aut sufficiat ad peccatorum expiationem vidisse et visitasse loca sacra. Hoc enim non asserimus; quo etiam sensu dixit S. Hieronymus, in epist. *Non Jerosolymam vilis, sed Je-*

*rosolymis bene vixisse laudandum est.* Pietas ergo et cæteræ virtutes Christiano necessariæ peregrinum comitari debent. Verum etiam non omnibus expedire vel concedi ut suscipiant peregrinationes, veluti sunt religiosi, uxores, alique certis adstricti legibus, de quibus loquitur in oratione Gregorius Nyssenus apud Magdeb. centuriatores, cent. IV. c. X. S. et Hieronymus ad Paulinum.

Sed missa nunc ista peregrinatione, ad eam nos conferamus, quæ in cœlestem ducit patriam, ad quam nos perducat Deus.

## CONCIO IX.

## MYSTERIA.

I. Quinam fuerunt hi discipuli? — II. Cur junxit se illis Christus? — III. Quomodo Christus dicitur peregrinus? — IV. Cur respondit Dominus: Quæ? — V. Car adeo dure increpat discipulos? — VI. Quomodo oportuit Christum pati? — VII. Cur finxit se longius ire? — VIII. An eucharistia discipulis porrecta? — IX. Quare agnitus Christus in fractione panis?

## THEMA.

*Interpretabatur illis in omnibus Scripturis quæ de ipso erant.* Luc. XXIV.

Cynicus ille Diogenes quam addiscendæ sapientiæ addictus esset vel inde ostendi potest, quod ea de causa Athenas profectus ad Antisthenem, cum ab eo repelleretur intentato baculo, subjecti caput ictui, dicens: *Cæde si vis, at nulum invenies baculum tam durum, quo me abs te abigas, dum aliquid dixeris.* Refert Laertius, lib. VI. cap. II. Non minus sapientiæ studium et amorem reperire est, auditores, in duobus illis discipulis, qui in hodierno evangelio abierunt in castellum. Quam enim addicti essent cognitioni verbi divini, ex eo satis patet, quam increpati duro illo verbo: *O stulti, et tardi corde!* minime repelli a magistro potuerunt, dum eos erudiebat; quin etiam fatentur arsisse interim amore corda sua: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur nobis in via, et aperiret nobis Scripturas?* Ad hæc a doctore isto divelli non potuerunt, sed coegerunt illum, ut secum permaneret. Quare tametsi hi discipuli ex una quidem parte reprehensionem merebantur ob defectum fidei; ex alia tamen laudem ob amorem verbi divini et cœlestis sapientiæ, ideoque digni habitu sunt, qui Christum redivivum corporeis oculis cernerent. Qua ex re, auditores,

satis, opinor, intelligimus, quam addicti verbo Dei et concionibus audiendis esse debeamus; ita nimirum ut nec minis nec increpationibus concionatorum averti ab eo nos patiamur; deinde ut cor nostrum ardeat in nobis, dum aperiuntur nobis Scripturæ: denique ut ægre a concionibus divellamur, finem earum molestius quam initium feramus. Freti igitur hac de vobis spe aperiamus quantum possumus Scripturam hodierni evangelii, Dominus dignetur nobis aperire oculos.

I. Quinam erant hi duo discipuli, et quomodo tenebantur eorum oculi? Respond. ad primum, probabile esse fuisse ex septuaginta duobus discipulis. Nomen uni Cleophas; quis vero fuerit ille Cleophas, et quo nomine alter vocatus sit, plures sunt sententiæ, sed incertæ omnes; ideo nec referre operæ pretium duco.

Ad secundum, respondeo tentos iñorum oculos non a Satana fuisse, sed a Christo ipso, uti sentiunt plerique, immissa in discipulorum oculos specie alterius effigiei, non ejus, quam gerebat Christus. Ita Barradius hoc loco. D. Thomas, III. sentent. dist. XXI. art. IV. ait, divina potestate impeditas fuisse internas potentias, ne Christum agnoscerent, quamvis externa species eundem repræsenteret. Resurrexit Dominus cum iisdem lineamentis eademque effigie corporis, ut agnosci posset, non alius, sed idem ipse surrexisse, qui crucifixus fuerat, quamvis haud dubie majore cum venustate, unde ex hac parte facile agnosci a discipulis potuisset, nisi ex alia detenti ipsorum oculi fuissent. Quod ergo Marcus ait ostentum illis esse Dominum in alia effigie, non ita intelligendum, quasi Dominus aliam a sua assumpserit effigiem; sed quod immutati discipulorum oculi aliam in ipso effigiem aspexerint.

II. Cur adjunxit se his discipulis Dominus? Respondeo, primo, quia præ cæteris afflictis et debiles erant in fide, prius ergo Dominus, velut prudens mater occurrit ad eos filios, qui periculosius laborabant. Primo, omnium apparuit Matri ob excellentiam et honorem maternæ dignitatis. Deinde Magdalenæ, ob excellentiam amoris ejus. Post hanc salutavit mulieres alias, ob excellentiam devotionis earum. Hinc ad Petrum sese contulit ob excellentiam primatus ejus et pusillanimitatem ex negatione conceptam. Ab hoc ad discipulos hos se contulit, quia videt eos non tristes solum, sed etiam pene desperantes.

Secundo, quia de rebus piis, morte et passione Domini inter se colloquebantur. Dixerat autem Dominus, ubi duo vel tres in nomine ejus congregati essent, se in medio illorum fore,